

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 9617

**Auteur(s) :** Raoul de Cairon [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1188-1193]

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Raoul de Cairon donne aux moines de Notre-Dame d'Aunay[-sur-Odon] trois setiers de froment de son moulin à Saint-Vaast[-sur-Seulles], ainsi qu'un demi muids d'orge pour soutenir deux pauvres, à percevoir annuellement en septembre. Il confirme également les donations faites par ses ancêtres à ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Caen, Arch. dép. Calvados, H727.

## Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Robert II, abbé de Saint-Étienne de Fontenay, 1180-1193. Robert de Veules, abbé de Saint-Sauveur-le-Vicomte, 1188 – après 1205.

### Texte d'après A

Universis sancte matris Ecclesie filiis ad quos presens carta pervenerit, Radulfus Caron salutem. Noverit universitas vestra quod ego Radulfus dedi Deo et Beate Marie de Alneto et monachis ibidem Deo servientibus, pro salute anime mee et patris mei et omnium antecessorum et successorum meorum in puram et perpetuam elemosinam, tria sextaria frumenti in molendino meo apud Sanctum Vedastum reddenda annuatim in mense septembris. Preterea dedi predictis monachis in eodem molendino dimidium modium ordei in perpetuam elemosinam in eodem mense reddendum, videlicet ad sustentationem duorum pauperum in perpetuum pro salute anime mee in predicta abbatia et hoc mihi ab .I. abbate et ab omni capitulo ejusdem monasterii concessum est. Concessi etiam et presenti carta confirmavi donationes quas antecessores mei prefate abbacie misericorditer contulerit. Habent igitur monachi ex dono Engerranni de Port .XX. acras terre in territorio de Undefontana. Ex dono Jordani Taxon patris mei unum miliarium anguillarum concedente matre mea apud Sanctum Salvatorem et decimam molendini sui de Buigna et unum sextarium frumenti apud Sanctum Mandoveum. Item ex dono meo libertatem et quietationem per totam terram meam, scilicet in foro, in tributo, in terra, in nemore et in aquis et in omnibus consuetudinibus ad me pertinentibus ex omnibus propriis monachorum rebus. Preterea presenti carte volo inserere quod quandam terram de qua pater meus cum monachis concedebat que videlicet terra adjacet vie que de monte Enche tenendit Dannoium juxta masuram assam. Ne forte pater meus in illa calumpnia oberra[vi]sset, concedentibus matre mea et fratribus meis, Rogero et Jordano, solutam et quietam monachis reliqui nichil in ea ulterius clamaturus. Has autem donationes solutas et quietas monachis concessi, nichil juris in eis mihi vel heredibus meis reservans preter orationum suffragia. Testibus hiis, Roberto abbate de Fonteneio et Roberto abbate Sancti Salvatoris, Henrico de

Tilleio, Willelmo Crasso, Radulfo de Conbrai, Roberto filio Erneis, Rannulfo de Hamarz et Roberto filio ejus, Ricardo de Astinel, Roberto de Haia et Nicholao fratre ejus.